

[1]

**Gratia indeptae rea gratiae
ad tribunal Matris Gratiarum votivo absoluta debito
in S. JOANNE NEPOMUCENO,
quondam recuperatae sospitatis ergo
ad beneficas Mariae aras ex voto peregrino**

Hodie in theatrum assumpto ab Illustrissima, Perillustri, Praenobili,
Nobili ac Ingenua mediae classis grammatices juventute
Pragae ad S. Clementem anno 1725, mense Majo, die ...

ARGUMENTUM

In primo aetatis vere deflorescentem invaletudine Joannem pii parentes Beatissimae Virgini ad Nepomucum beneficiis florentissimae devoverunt. Votum secundavit eventus, ex quo Joannes Sospitatrici Clementissimae gratum se stitit peregrinus. Ex vita S. Joannis Nepomuceni argumento accessit poësis.^a

PROLUSIO

Gratia aureo Mariana Clementiae vinculo compedita illoque non nisi ad beneficas Magnae Matris aras absolvenda, eo devota properat.

SCENA I.

Recuperatam ope Matris Gratiarum sospitatem Joanni gratulantur coaetanei. Parenst voti reus eundem cum ectypa sui ipsius tabella ad tholos Marianos deferensa ablegat.

SCENA II.

Viatori Mariophilo fiunt obvii Florinus et Silindus, a Floraे suburbanae deliciis reduces; eique iter suum commendanti munuscula hortensia Beatissimae Virgini praesentanda offerunt.

^a Cf. Balbinus: *Acta Sanctorum*, s. 669: *Nam cum puerus Joannes in gravissimum incidisset morbum, voto ad ejusdem Divae Virginis simulacrum a parentibus edito et promissis in aetatem reliquam pro filio obsequiis, protinus surrexit incolumis.*

SCENA III.

Sub haec officiosi ad thaumaturgas Mariae aras clientuli de adventuro Joanne certiores reddit, ut amoeniores eidem instruant semitas, viarum impedimenta removent et flosculis iter adornant.

SCENA IV.

Sed Joannes floridum ceu erroneum declinat callem et solitum asperiorem inquirens tramitem, inter silvarum abdita palantes cum grege suo offendit pastorculos. Quibus dum Agni Immaculati Eiusque Virgineae Matris instillat amores, a grassantibus prope praedonibus in fugam agitur.

SCENA V.

Exinde dubiis oberrans recessibus, repartam in specu Beatissimae Virginis, ad cuius aedes peregrinus abiveret, effigiem flosculis exornat eique suum interim appendit anathema ac meliori spe fretus viam indagat securiorem.

[2]

CHORUS

Properantem Gratiam varia remorantur pericula.

SCENA VI.

De filii discrimine per somnium, obscure licet, edoctus pater, dum filiolo indolet, adsunt coaetanei de reditu sui sodalis sciscitantes. Verum intellecto parentis metu pro viatoris incolumitate innocentia ad Deiparam vota profundunt.

SCENA VII.

Florinus interim molestam peregrini absentiam viridario leniturus, eundem inter praedones vita periclitari resciens, vehementer percellitur; relegatoque ad patrem tristi internuncio, ipse Achatis sui salutem abit vindicaturus.

SCENA VIII.

Pastorculi periculo liberi desertum reinvisunt gregem. Nullo agnellorum desiderato, candidissimum Agno Immaculato ejusque Matri Purissimae in censem deferunt.

SCENA IX.

Florinus suum inter nemora Nepomucenum requirens, ex nympha vocali a specu reflectente, ibidem latentem intelligit. Verum unicum duntaxat cum flosculis ectypion reperiens, Joanni ceu defuncto lugubri epitaphio parentat tabellamque Thaumaturgae Virgini per callem floridum deferre properat.

SCENA X.

Continuis viarum maeandris vexatus Joannes limpidum ad fontem respirat, silva gratioso hospiti applaudente.

SCENA XI.

Lugubrioris somni scenam dum iterato maerore secum reputat pater, veritatem periculi Joannae non sine dolore cognoscit. Virgineae nihilominus clementiae fiducia fretus in spem recuperandae prolis erigitur seseque itineri accingit.

CHORUS

Gratia variis defuncta periculis metam votorum feliciter attingit et vinculis absolvitur.

SCENA XII.

Permodica quiete recreatus Joannes suum in specu requirit ectypon, sed ejus vice inscriptum sibi epitaphium reperit. Quo obliterate a Caelesti Genio in florentem de-ductur tramitem. Ubi ab obvio Florino suam gaudens recipit tabellam illoque pedis-sequo^b in aedes contendit Marianas.

SCENA XIII.

Ob requisitum, sed frustra lustrato nemore, Joannem afflictus pater, adolescentes quospiam non procul nemore ad vicinam Beneficae Matris Dei aedem properare inaudit. Quare suspicatus, quod erat, laetus viatores sequitur.

SCENA XIV.

Interim familiares Nepomuceno Mariophili de amanter excipiendo eminus adven-stante coaetaneo amice disceptant. Quorum admistus coronae votum pie exsolvit.

SCENA XV.

Devotioni huic insperato supervenit pater et secundo Matris Clementissimae beneficio donatus, iteratum Divae Sosipatrifici ad aras thaumaturgas decantat eucharisti-con.

EPILOGUS

Applaudit solutae vinculis Gratiae et reddenda Mariae vota benevolo spectatori commendat.

A. M. D. G. et S. Joannis Nepomuceni honorem

^b *Pedissequus*, hyperkorektní tvar adj. *pedissequus*, a, um.